

Dominium directum est illud quo habetur rei proprietas absque ejus usufructu.

3º Quidam dicunt dominium directum bonorum ecclesiasticorum esse apud Deum, quia pluribus in locis bona ecclesiastica dicuntur *res Dei, bona Deo consecrata*; alii tenent illud dominium esse apud Summum Pontificem, ob supremam potestatem administrandi bona ecclesiastica que ipsi a sacris canonibus tribuitur.

“ Communis sententia, quam tenet Schinalzgrueber, De Peculio clericorum, lib. III, tit. XXV, est quod dominium particulare bonorum ecclesiasticorum sit penes ecclesias, sive collegia et capitula clericorum; aut ubi talia non sunt, penes communitatem fidelium ad ecclesiam spectantium, si ecclesia sit secularis; si vero regularis, penes ipsa monasteria, seu conventus et communitates religiosorum, si illa sint dominii capacia.”

a) Ecclesia Romana multas olim possessiones habuit quae ipsi datæ fuerant ex diversis regionibus, ut constitueretur patrimonium S. Petri, atque in bonum Ecclesie universalis iusserirent. Jamvero dominium proprie dictum lorum bonorum est apud Ecclesiam universalem, cuius princeps et summus administrator est Romanus Pontifex.

b) Dioecesis, sedes episcopalnis, ecclesia cathedralis, capitulo, seminaria, ecclesiæ parochiales, monasteria et alii conventus regularium, confraternitates et alia instituta ecclesiastica vel religiosa, quando *rite instituta fuerunt* servatis legibus canonicis, sunt etiam capacia dominii; hinc bonum temporale quoquinque titulo acquisierint, res ipsis propria est et sub illorum dominio constituta. Maupied, lib. IX, De laicis, pag. 471.

Dicitur *quando rite instituta fuerunt*, quia in societate religiosa, non secus ac in societate civili, nulla communitas subsistit cum jure acquirendi ac possidendi, nisi constituta et